

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D. D.

# RAPHAELI PIZZVRNO

TOTIVS MINIMORVM ORD. S. FRANCISCI

DE PAVLA OLIM CORRECTORI GENERALI,

NVNC VERO GVARDIENSI EPISCOPO VIGILANTISS.

SALVTEM,

SIBI EIVSDEM PATROCINIVM PRECATVR,

*F. Angelus Vigus Minimus,*



**S**EVERIOR, & non aqua librata trutinam mihi videtur illa Seneca sententia, Ingratus est qui beneficium reddit sine vsura. Expediet beneficia detrectare, ne per illa in ingrati animi crimen incurramus: est verum est ex Arist. 2. Philos. Mor. Magistris, Dijs, & Parentibus non posse reddi æquivalens, nemo erit non ingratus, cum nemo non fateatur se debere Deo, Magistris, & Parentibus. Mitior Aristot. 8. eiusdem Philos. Mor. & animo beneficis deinceps magis indulget dicens. Retributio possibilis esse debet, non condigna. Invenire fateor Illustriss. ac Reverendiss. D. Ingratus esse nunquam desinerem, si tuis in me collatis reddere deberem condigna beneficijs: quid postea si cum vsura? æquivalens non invenio reddendum Magistro meo, Parenti meo, quin immo (si fas est dicere) Deo meo, & liceat mihi addere, Raphaeli meo; Magistro, à quo artes hausit philosophicas: Parenti, cui Religio olim meæ tenenti gubernaculum magis debebam, quam genitori: Deo, Prælato scilicet, cum Sacerdotibus omnibus, præsertim Prælati dicas Veritas ex lo. 10. Ego dixi Dijctis, Raphaeli tandem, qui medicina interpretatus ignorantia cæcitatem ab oculo mentis meæ, & suæcoleni conversatione auerit, & doctrina fugavit splendore, Neque inconsulto natura, ut opinor, mihi Angeli, tibi Raphaelis nomen imposuit, Superior celestium spirituum Hierarchia, in qua non ultimus est Raphael, inferiores, ut aiunt Theologi, ordines illuminat: Tu Raphael in Doctorem casu sublimis, me Angelum scientie vix prima sequentem signa illuminasti. Quid pro tantis redderem, ver sabar animo: extremum ingenuè timebam supplicium, timebam ingrati notam, ni profiterer, unde vivebam: Verebar à tuæ benevolentia mensa impransus abire de more Gymnosophistarum, apud quos impransus abibam, qui nullum diurni laboris fructum parentibus offerret: culpa erat non asserre: De meo quod asserrem non habebam; ut asserrem, furari satius fuit alienum; offero igitur, & offero Dominationi tuæ Illustriss. ac Reverendiss. adm. R. P. F. Laurentij de Peyrinis Informatoris, & Præceptoris tui, tuique amantissimi opera, & ad Subditos, & ad Prælatos attentivam, quæ olim ab eodem in lucem edita, & per orbem diffusa tantam, tamque variam prætulerunt doctrinam, ut plures plurimum ex ea fateantur se profecisse. Vnde iure potest de se ipsa dicere, OMNIBVS PROSVM, eodem enim modo, quo aqua unico in vase florum varijs vigorem conservat, doctrina hoc in libro contenta diversis hominum, præcipue Regularium, utilis est rebus, & genijs. Legant, iterumque legant Regulares omnes, legite Subditi, & discitis esse subditi, legite Prælati, & scitis quomodo præesse debeatis: cumque omnes instar apum succos decerpitis meliores, cognoscite, quod IAM VOBS MELLIFICAT IS, dum Regulares regularia perlegentes iura foretis Regularium, Ignoscite Illustriss. ac Reverendiss. Domine, si tantisper eram digressus; ad librum redeo, qui excussus deinceps non tantum meo studio, quam tuo patrocinio dicit, SEMPER VIVO, sibi vindicans proprietates herba illius, quæ in rectis nascens oculi equini refert imaginem, semper virens; unde semper vixi nomen habuit à nostris Medicis, Zoophthalmos à Grecis, Viri docti recta sunt, oculi sunt, semper virentes sunt, qui ceteris altiores humanis rebus invigilant in adversis eundem recitunt semper animum, Hoc tibi dabit hic liber, & iam dedisse probant Prudentia, & Vigilantia, quibus Religionem nostram inuictè moderatus es, & Ecclesiam tuam moderaris. Suscipe libenti animo, eo que illud amore velim amplecteris, quo auctorem, dum degeret in vitijs prosequutus es, & quoties librum à te perlegi contigerit, sodalis olim tui, deinde discipuli, postea subditi, nunc Angeli tui memineris, & Rege felix.

AD LE.